

CARTA POBLA DE MONCADA

CARTA DE POBLACIÓ QU'ELS TEMPLERS FEREN DEL LOCH DE MONCADA (1248)

Manifestum sit omnibus tam presentibus quam futuris, quod nos, frater Gauterius, comendator Domus militie Templi de Valentia, cum consilio et voluntate fratris Iohannis, camerarii dicte Domus, et Arnaldi de Timore et fratris Aguilonis, fratris Raymundi et aliorum fratrum ibi stantium, auctoritate domini Guillelmi de Cardona, magistri in partibus Catalonie et Aragonie, per nos et omnes nostros presentes et futuros, damus, concedimus et stabilimus imperpetuum vobis, populatoribus de Muncada, scilicet Dominico de Siscar et Berengario de Riu, Petro de Barberano, Guillermo Bosch, Bemardo Rosinyol, Guillermo de Sancto Iohanne, Guillermo de Rubuitarago, Guillermo de Riu, Bernardo de Vilabella, Petro Domenech, Petro Duran, Bernardo Çabater, Petro Martini, Arnaldo Traginer, Petro de Alpicat, Raymundo de Albesa, Petro Seguarra, Berengario de Riffa, Raymundo Mullerat, Bernardo Serrano et vestris successoribus, domos unicuique vestrum et unam fanecatam terre pro orto faciendo in Muncada, sicut vobis assignavimus et terminavimus; pro quibus domibus et orto teneamini dare quisque vestrum nobis et successoribus dicte Domus nostre de Valentia annuatim de festo in festum santi Michaelis septembris tres libras de cera¹ censuales et non aliud.

Item damus vobis et vestris imperpetuum quadraginta iovatas terre in regadivo² sicut iam ipsas vobis assignavimus et terminavimus, de quibus dabit³ nobis et Domui nostre Valentie / [46^v] de omni fructu, quem Deus in ipsis⁴ dederit, tertiam partem fideliter sine missione nostri et nostrorum, scilicet de fructu panis in era et de vindemia in vineis et de ficibus, cum eas secaveritis, tertiam partem et de olivis tertiam partem et similiter de omni fructu, quem ibi habueritis, dabit³ generaliter Domui predicte tertiam partem sine missione nostra et Domus dicte.

Item damus et stabilimus vobis et vestris sexaginta iovatas terre in secano in dicto termino de Muncada⁵.

Item damus vobis et concedimus illam terram integriter, que⁶ fuit Paschalis⁷ de Calataiub et Arnaldi Ferrarii, sicut confrontatur ex una parte in fossario anticho, et ex alia in termino de Alfara, et de alia in camino qui itur apud Murvedre, et de alia in⁸ via publica que vadit ad molendinos et ad alchaream de Alfara.

Et de omni ista terra (que est in secano, quam vobis et vestris damus et stabilimus) dabit³ nobis et Domui nostre Valentie de omni fructu semper, quem Deus in ipsa dederit, quintam partem fideliter sine missione nostri nostrorumque de pane in era et de vindemia in vineis, et⁹ similiter de omni fructu arborum, que ibi fuerint, dabit³ nobis et nostris quintam partem fideliter sine missione nostra et nostrorum.

¹ *En marge esquerre*: III libras cera pro unaquaque domo.

² *En marge dret*: XXXX regadivo.

³ *debitis en manuscrit (ms.)*.

⁴ *Corregit damunt ipsius*.

⁵ *En marge esquerre*: LX in secano.

⁶ *qua en ms.*

⁷ *paschal en ms.*

⁸ *aliam en ms.*

⁹ *Omet ms.*

Item damus vobis et vestris imperpetuum omnes illos mallolos, qui sunt de orto qui fuit Bartholomei de Gilla, usque in capite alcharie de Muncada, cum terra in qua edificati sunt, et cum arboribus, que ibi sunt; de fructu quorum omni, quem Deus in ipsis (que ibi sunt plantati et plantandi) dederit, dabitis nobis et Domui nostre omni tempore intus vineam tertiam partem fideliter cum tertia parte¹⁰ fructuum arborum sine missione aliqua nostri, retento tamen ibi nobis et Domui nostre illo columbario, qui ibi est, cum introitibus et¹¹ exitibus suis.

Iam dictas itaque donationes cum omnibus suis pertinentiis, tenedonibus et introitibus et exitibus, et cum omnibus melioramentis, que ibi feceritis, tam in domibus quam in honoribus de abisso usque ad celum et cum aquis ad rigandum, cequiis¹², paschiis, lignis, petriis, viis et carrariis, ductibus et reductibus aquarum vobis et vestris damus et stabilimus imperpetuum ad omnes vestras vestrorumque voluntates libere faciendas sine vinculo, retentu et obstaculo alicuius persone, sicut / [47] melius et potius¹³ dici et¹⁴ intelligi potest ad vestrum vestrorumque sanum intellectum et profitium et sine malo ingenio vestro et ingano, salvo tamen nobis et dicte Domui iure, censu nostro et agrario supradicto.

De venditione autem vel alienatione, quam de predictis facere volucritis, stitis prius fatigati in nobis et successoribus Domus nostre spatio triginta dierum et quod si noluerimus ea, que vendenda erunt vel alienanda, retinere iusto precio (quod feceremus), deinde possitis¹⁵ vendere, alienare et facere vestram voluntatem vestris consimilibus tantum¹⁶, salvo semper iure nostro et senioratico¹⁷, laudaismo, censu et agrario et faticha, ut dictum est. In predictis vero non faciatis nec eligatis¹⁸ alios dominos nec patronos nisi nos et successores nostros et sitis vero homines nostri proprii¹⁹, solidi, fideles et habitantes et affogati et residenti²⁰ ibidem cum omni vestra familia sine alia donatione. Et vos et vestri tam paccati quam irati firmetis et faciatis ius in posse nostro et baiulorum nostrorum, quotienscumque fueritis requisiti. Et nos et nostri faciemus omnia supradicta cum omnibus melioramentis (que ibi feceritis) semper vobis et vestris habere, tenere, possidere, expletare libere et quiete contra omnes personas et deffendere et manutenere vos et res vestras universas sicut res nostras²¹ proprias secundum²² posse nostrum ad bonam consuetudinem Templi, non addendo nec crescendo vobis nec vestris amodo ullam aliquam malam consuetudinem. Retinemus etiam nobis et nostris omnia molendina et furnos et fabrecas et balnea, que sunt vel erunt in alcharia sive in termino de Muncada, ad nostram propriam voluntatem²³. Retinemus etiam super vos et vestros omni

¹⁰ cum tertia(m) p(ar)tem *en ms.*

¹¹ Omet *ms.*

¹² cequis *en ms.*

¹³ meli(us) possim(us) *en ms.*

¹⁴ Omet *ms.*

¹⁵ voluerimus ea que... feic(er)emus de inpossitis *en ms; absolutament sense sentit.*

¹⁶ tame(n) *en ms.*

¹⁷ n(ost)re (et) soniorator *en ms.*

¹⁸ aligatis *en ms.*

¹⁹ p(ro)p (r)iiis *en ms.*

²⁰ (et) resid[enti] *en marge dret.*

²¹ v(est) ras *en ms.*

²² Afegeix i cancel·la forum.

²³ Retinemus etiam nobis... voluntatem omet *ms. En marge dret VI d(rets) (?). De difícil interpretació; l'escrivent ja s'ha enganyat varies vegades; ara mancava una línia sencera en la que apareixen 4 monopolis dels senyors, que afegits als dos, que sí indica més tard, és a dir host et cavalcadam farien els sis drets esmentats.*

tempore host et cavalcadam²⁴ ad forum et consuetudinem Valentie, concedendo et dando vobis et vestris omni tempore foros et consuetudines valentinos²⁵.

Et insuper ut hec, que dicta sunt, maiorem obtineant firmitatem, sigillo domini Guillermi de Cardona, magistri²⁶ in Catalonia et²⁷ Aragonia, fecimus hanc²⁸ paginam roborari.

Ad hec nos, dicti Dominicus de Siscar, Berengarius de Rivo, Petrus de Barberano, Guillermus Bosch²⁹, Bernardus Rosinyol, Guillermus de Sancto Iohanne, Guillermus de Rubuitarrago, Guillermus de Rivo, Bernardus de Vilabella, Petrus Dominicus, Petrus Duran, Bernardus Sabater, Petrus Martini, Arnaldus Traginer, Petrus de Alpicat, Raymundus de Albesa, Petrus de Sagarra, Berengarius de Rifa, Raymundus Mulerat et³⁰ Bernardus Serranus recipientes omnia supradicta gratis et bono animo et spontanea voluntate a vobis domino fratre³¹ Gauterio et a dominis et fratribus aliis laudamus, conce-/[47^v] dimus et firmamus per nos et nostros omnia supradicta, que nobis dedistis et stabilistis et vobis retinuistis, et promittimus vobis et vestris successoribus dicte Domus vestre esse homines proprii, fideles, habitantes et affogati cum omni nostra familia in dictam alquaream de Muncada et promittimus donationes³², quas nobis fecistis, bene laborare et meliorare, et ius vestrum, censum³³ et agrarium supradictum dare fideliter, ut dictum est, et³⁴ non clamabimus neque eligamus inde alium dominum nisi vos et successores dicte Domus vestre.

Actum est hoc IIII^o kalendas iunii anno Domini millesimo CC^o XL^o octavo.

Sig [*signe de creu*] num fratris Gauterii, comendatoris Domus Valentie.

Sig [*signe de creu*] num fratris Iohannis, camerarii.

Sig [*signe de creu*] num Arnaldi de Timor.

Sig [*signe de creu*] num fratris Aquilonis.

Sig [*signe de creu*] num Raymundi.

Sig [*signe de creu*] num fratris Dominici.

Sig [*signe de creu*] num fratris Guillermi de Palatio.

Sig [*signe de creu*] num fratris Bernardi de Balagario.

Nos, qui hec laudamus et firmamus et iussimus scribi testibusque firmari.

Testes huius rei sunt³⁵:

Sig [*signe de cren*] num Arnaldi Guillermi.

Sig [*signe de creu*] num Bernardi de Ricla.

Sig [*signe de creu*] num Vasconis³⁶.

Sig [*signe de creu*] num Guillermi de Conques.

²⁴ *En marge dret*: host cavalc[adam].

²⁵ Val(e)nt(ie) nos *en ms.*

²⁶ magistri *en ms.*

²⁷ *Omet ms.*

²⁸ hans *en ms.*

²⁹ Boch *en ms.*

³⁰ *Omet ms.*

³¹ frat(ri) *en ms.*

³² donation(i)s *en ms.*

³³ sensu(m) *en ms.*

³⁴ *Omet ms.*

³⁵ Testes huius rei sunt *omet ms.*

³⁶ Vasonis *en ms.*

Sig [*signe de creu*] num Bernardi de Miralles, presbiteri³⁷.

Sig [*signe de creu*] num domini Guillermi de Cardona, magistri in partibus Catalonie et Aragonie, qui hanc donationem aprobat et confirmat et³⁸ sigillo suo fecit hanc paginam plenius insignari.

Bernardus de Barberano, capellanus Montis Cateni, hec scribi³⁹ fecit et clausit mandato dicti comendatoris et aliorum fratrum cum litteris rasis et emendatis in VIa linea⁴⁰, ubi dicitur «sexaginta», die et anno prefixis.

³⁷ *Afegeix* huius rei sunt.

³⁸ *Omet ms.*

³⁹ *scripsi en ms.*

⁴⁰ *Del ms. original.*